DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS,
DE
PNEUMONIA CHRONICA,

QAUM

ANNUENTE DEO OPTIMO MAXIMO,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

JACOBI-LUDOVICI KESTELOOT,

MED. CHIR. ET ART. OBS. ET IN FACULT. MED. PROFES. ORD.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GANDAVENSI,

RITÈ AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICÈ DEFENDET

Ludovicus.-Aug. Van Den Bulcke,

EX BELLEGHEM,

DIE 17 JUNII 1826 HORA 10 IN ÆDIBUS ACÂDEMICIIS.



GANDÆ,

TYPIS HIPP. VANDEKERCKHOVE FILII, IN VIA KORTE-RIDDERS. N.° 10.

1826.

Ex præscripto art. 56 legis Acad. opiniones in dissertationibus propositæ, illarum auctoribus propriæ et a facultate nec approbatæ nec improbatæ sunt habendæ.

Tutori meo optimo

Joanno Josepho Van Den Bulcke,

nec non

Fratri Amicissimo, Amantissimo.

Hasce Studiorum primitias dedicat

Auctor.

Geneeskunst steunt natuur, maar zij herbaart haar niet.

BILDERDYK.

DE PNEUMONIA CHRONICA.

MORBI DEFINITIO EJUSQUE DIVISIO.

Per chronicam pneumoniam (a πνευμων pulmo et χρονος tempus) intelligo phlegmasiam illam levem, quæ sive manifesta sive occulta, sedem suam habet vel in vasis capillaribus sanguiferis, vel in aliis systematibus parenchyma organi respiratorii constituentibus, vel in membrana sua serosa, quæ cum omnibus fere signis catarrhi pertinacis et acuti lente procedit.

Veteres inflammationem illam, ratione partis primariè affectæ, vario modo et diverso nomine descripserunt, et sic singulam pectoris inflammationem speciali nomine, ratione partis læsæ, designarunt, ita ut illam distinxerint in pleuritidem, peripneumoniam, paraphrenitidem et pleuro-peripneumoniam. Alii ut Fredericus Hoffmann, Macbride pneumoniam nomine febris peripneumonicæ salutarunt. Recentiores, inter quos eminet magnus Broussais, hùnc morbum in tres classes diviserunt : 1.° in catarrhum, qui consistit in inflammatione membranæ mucosæ vasorum aereorum : 2.° in pneumoniam vel peripneumoniam, ab inflammatione parenchymatis organi respiratorii nominatam : et 3.° denique in pleuritidem, quæ præcipuè in membranâ serosâ, pleura dicta, sedem suam habet. Nos verò cum clarissimis in arte viris Cullen, Haller et Portal cunctas has inflammationum species uno nomine pneumoniæ designamus.

Inutilè credo discrimen inter omnes has affectionum species instituere : 1.° quia difficillime ne dicam impossibile sit, ut in praxi hæ thoracis inflammationes a se invicem distinguantur, et expertissimus quoque medicus semper in dubio hæreat, quonam in systemate morbus sedem suam habeat : 2.° species hæ

diversæ systemata diversa notabiliora non offerunt : 3.º cura in omnibus his variarum pectoris partium phlegmasiis est eadem. Hinc divisio hæc magis hypothetica et medecinæ tyronibus ominosa quam alicujus pro praxi utilitatis.

DESCRIPTIO.

Hæc affectio, quæ vel ex pneumoniâ acutâ, vel quod sæpius, ex catarrho neglecto nascitur, vel lentè et occultè absque ullis evidentibus signis oboritur, morbum constituit in nostrâ patriâ, propter instabilitatem ventorum, vulgatissimum atque periculo plenum. Si bene consideramus nobilitatem partium affectarum earumque ad vitam conservandam necessitatem nec non modum invasionis ac decursum maximè sæpè occultum et fallacem ac quoniam magnam sæpè edidit stragem antequam ægri medicorum curæ committantur, non mirabimur tantam funerum partem huic affectioni deberi. Quum hæcce phlegmasia tâm innumeris sequelis sit noxia et tam facile produci valeat, oportet medicus omnem suam attentionem in dirum hunc morbum figat ejusque originem, decursum et exitum bene perspiciat, ut ita ab aliis morbis, ad eum quam maximè apropinquantibus, possit distingui, itaque prævideri, sanari vel mitigari.

Ut plurimum *sporadice* ingruit. Cæterum quovis tempore, maximè tamen hiberno, ut notat Hippocrates : « *Hyeme verò, peripneumoniæ, gravedines, Raucedines, tusses, dolores pectorum et laterum* » (1) et verno post diuturnum, pluviosum hiemem, sicut et autumno humido, gelido et multum

---

(1) Vid. Hippoc. sect. III, aph. 23.

caliginoso, imo et fervidissima quandoque æstate adoritur. Homines robustos, torosos, juvenes plethoricos ac fortiori, irritabili fibra constructos aggreditur, quin tamen pueris et feminis parcat, et cum quâvis corporis constitutione tum sana tum morbosa connubium inire observatur. In omnibus demùm regionibus domicilium suum figere valet.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Cuncta vitæ genera, quæ quocumque modo in pulmonibus fomitem alere possunt vel transpirationem cutaneam supprimunt, pneumoniæ viam sternunt : inter hæc, ut asserit Broussais (1), primum locum occupant illa militum; hi enim parum vestiuntur, mutationibus atmosphæræ frigorique nocturno continuo exponuntur et, omnium pessimum, post longa itinera postque sudores diurnos frigore nocturno afficiuntur et ita mortali fruuntur somno; dein illi, qui continuò aeris emanationibus sive humidis sive pulverulentis, pulmones irritantibus, sunt expositi; qui e temperaturâ calidâ in frigidam subito transeunt; demum qui, ut notat Stoll (2), curvato trunco officia sua peragunt, putà : litteratores, sculptores, vestiarii etc. Cutis aspera, sicca, corporis habitus (maximè senibus familiaris) diathesim catarrhalem quasi depingens; per morbos prægressos pulmonum debilitas ac morbosa sensibilitas v. g. per pneumonias acutas, catarrhos aliasque thoracis partium phlegmasias : frequentes pulmonum congestiones a rigoribus in febre obvenientibus, a variis variarum affectionum mora-

---

(1) Vid. Broussais, Disc. des phleg. ou inflam. chron. tom. 1, pag. 172, édit. de Bruxelles.

(2) Vid. Stoll de pleurit. ocult. sive lat. pars 1, ann. 1777.

lium turbis aliisve innumeris causis productis : aer humiditate, siccitate, calore, frigore, gravitate, levitate nimiis, exhalationibus causticis et astringentibus peccans: corpus peregrinum pulmonibus illapsum; irritans vapor quivis; potentiæ variæ externæ pectori illatæ, ictus, lapsus, contusiones, vulnera, fracturæ costarum; variæ chirurgicæ operationes ut membrorum et mammarum amputationes. Ad eamdem categoriam spectat, consuetarum hæmorrhagiarum suppressio vel ejusdem mala repercussio v. c. menstruorum, hæmorrhoidùm, epystaxeos, hæmoptysis; setaceorum, fonticulorum et venæsectionum amissio; insultus asthmaticus, et phthisis sic dicta pituitosa; constitutio et susceptibilitas nervosa; dispositio hæreditaria ad scrophulos, ad phthisim pulmonalem, tumores in pectoris cavo, uti cordis et vasorum majorum aneurismata; vitia varia pulmonum v. c. steatoma, varices, vomica, tubercula, induratio; hydrops pectoris, hydrops pericardii et empyema pneumoniæ favent. Huc quoque pertinent varia viscerum abdominalium vitia quæ thoracis capacitatem minuunt, sic hepatis et lienis volumen præter naturam auctum. His omnibus, quæ pneumoniam alere queunt, annumerari debent quam plurimæ cutaneæ affectiones, dum scilicet nimis citò suppriman-tur, sive dum incongruo medicamento sive metastasi ad interiora vergant v. g. erysipelas, tinea, herpes, scabies, morbilli, variolæ, scarlatinæ etc. Ætas senilis, pneumonia acuta, citius quam par est, fallaci modo evanida, omnium frequentius catarrhum, vel per ægri negligentiam, propter levitatem inflammationis, vel per medici malam tractationem pulmonum substantiam aggrediens : metastasis a febre puerperali, hepatitide, podagra, arthritide, rhumatismo etc. ad pulmones translata : corpus variis morbis, ut febre adynamica, mucosa, hectica, strumis, chlorosi etc. quasi extinctum : nec minus rarum ad ejus evolutionem concurrunt nimiè repetitæ vel copiosiores sanguinis missiones.

Accedunt tandem errores in diæta : quamnam enim perversa diæta non habet

potentiam in producendos morbos ? quotnam funerum eæ non sunt attribuenda ? nonne omnium ferè morborum chronicorum originem in eâ, si benè inquiras, invenies ? præcipui ergò errores in diæta, quæ chronicæ pneumoniæ viam aperiunt, sunt : victus animalis, potus spirituosorum, aròmaticorum, in genere omnium alimentorum et potulentorum insalubrium usus diutius protractus ; Venus nimium et premature culta, onania; frequentiora balnea frigida generalia, vel localia pectori applicata; constitutio inediâ, laboribus, studiis, vigiliis, bacchanaliis, lucubrationibus nocturnis concussa ; denique animi pathemata percellentia e. g. mæror, invidia, nostalgia « *multorum*, ait Avenbrugger (1), » *hoc morbo* (Nostalgia) *defunctorum cadavera aperui*, *et inveni semper* « *pulmones pleuræ firmiter accretos : lobum verò ex latere non sonante* « *callosum, induratum plus minusve purulentum.* »

CAUSÆ EFFICIENTES.

Quamquam inter causas supra notatas existent, quæ propriâ suâ actione pneumoniam chronicam aliquando producere valent, attamen omnes in classe prædisponentium, quum plerumque ex concursu aliarum morbus evolvi videtur, collocavi. Causas efficientes illas dico, quæ, cum corpus jam ab unâ vel alia causâ prædispositum sit, nova priori accedat potentia nocens ad morbum evolvendum apta evadens, vel dum binæ causæ simul hominem invadunt et ita suo concursu hanc affectionem producunt, vel demùm dum potentia aliqua

---

(1) Vid. Avenbrug. invent. nov. ex percus. thorac. hum ut sig. obstru. pector. morb. detig. observat. VI, Vindobonæ 1761. Et præcipue traductionem cum notis corvisart.

nocens, quæ vi sua acutam pneumoniam producere valet et postea vel suâ natura, vel ægri negligentia etc. in chronicam phlegmasiam vergit. Possunt tamen et morbi cutanei repercussi, corpora heterogenea in pulmones lapsa, variæ chirurgicæ operationes, passiones quædam etc. intra causas occasionales numerari.

DE DIAGNOSI.

Pneumonia acuta (chronica pneumonitis, ut supra monui, duobus modis oritur scilicet: vel 1.° a pneumoniâ acutâ imperfecte soluta et morbum secundarium format: vel 2.° primarium morbum, dum initio suæ invasionis, independenter ab alio morbo, pneumoniæ chronicæ naturam offert) si sede non mutatur, si levior non est, neque in exordio gravior, arte jugulatur, nec resolutione benigna, neque die 7.°, 9.° aut 14.° crisi felici sine ullis evacuationibus salutaribus v. c. Epystaxi, Hæmorrhoidibus aut largo menstruorum fluxu, æquabilibus, profusis et continentibus sudoribus, sputis flavescentibus, coctis et copiosis penitùs solvitur: verum enim post 7, 12, 14 vel 20 diem, quibus incanduit febris, ad pristinum statum redeunt circulationis turbæ variæ, in pectore dolor omnis imminuitur vel plenariè silet, calor cutis attactui fit naturalis, mente vultuque hilari gaudet æger, ciborum redit appetentia, nec non liberior fit respiratio, omniaque symptomata jam remittunt ac novis lætè patiens fruitur viribus: attamen a quocumque motu corporis seu in passu celerato seu in ascensu schalarum perit spirandi libertas, obruit ægrum tussis parva, sicca, quandoque expectoratione copiosa, profundo pectoris dolore comitata, plerumque post pastum, vespertino vel nocturno rediens tempore; pulsus tanguntur febriles, concitati, duriusculi; calor cutis auctus et vagi pectoris dolores exacerbantur, sensim sensimque franguntur vires et

tandem genæ si leve rubescunt, facies animatur et cavitas thoracica dum percutitur sonum edit in uno vel in pluribus partibus obscurum et surdum, facile et tute diagnosticari licebit.

Verumtamen infelices periculi sui nescii, adhuc per tempus quoddam, omni absente sollicitudine, negotià sua hilares peragunt, donec demùm, de die in dies viribus decrescentibus, respiratione magis anhelante et tussi cum febricula ipsos vesperi magis et nocte, in primis dum atmosphæra subita sua et perniciosa mutatione e frigida in calidam et vice versa terram vexat, cruciante, priscas suas vires non redire sentiant, ad medicos ægre confugiunt et eorum calamitates, quæ magis in dies crescunt, ad sequentia reduci valent.

Æger, stante pneumoniâ chronicâ, nullis si detinetur stimulis, nulla si ipsi accedunt animi pathemata fortiora, neque ullo si afficitur graviori corporis motu, respiratio supermanet levis, libera, indolens et rarius naturali frequentior, vix a statu sano differens. Attamen in uno alterove thoracis latere, quin majorem vel minorem sentiat doloris sensum, difficiliorem edat spiritum, tussi plus minusve valida torqueatur, decumbere non potest; latus affectum sub percussione non sonore respondet, atque sub inspiratione, tussi et omnibus succussibus augetur dolor, fit punctorius et propter majórem sanguinis ad pulmones attractam copiam, oppressiones, constrictiones, incommoda varia, sensusque ponderis ad thoracem persentit æger, angitur et languet : respiratio denique et sermo intercisus ac suspiriis intercapedinatus evadit.

Quum morbus hic sæpè sit indolens et occultus non inutile duxi hæc Maximiliani Stoll præclara addere verba.

« *Detegitur hæc occulta Pleuritis vel Peripneumonia, si æger modo in* » *hoc, modo in alterum latus sese convertere jubeatur, atque attendere,* » *num quilibet decubitus æque ipsi facilis sit: num fors uni lateri in-*

» *cumbens tussitare debeat : num angustiorem ipsi, difficilioremque fieri*
» *spiritum in hoc potius situ, quam in alio experiatur.*

» *Æger jubeatur fortius inspirare exploreturque, num is inter respirandum aliquid in pectore incommodi, aliquem dolorem punctorium, ardorem, pressionemque sentiat.*

» *Data opera validius aliquoties in vario corporis positu tussitet, et attendat, num quid molesti, pungentis, ardentis prementisque doloris sentiat.*

» *Status ægri prægressi diligenter examinetur* (1) ».

Ratione situs dolor variat, si corpus erectum et tranquillum teneatur fere nullus, quandoque tamen quasi ingens pondus thoraci incumbit : in genere minori dolore in situ erecto et supino, quam in laterali vel in horizontali decubitu afficiuntur; ex his enim sæpius oriuntur dolores atroces, tusses convulsivæ et quasi spasticæ, Dyspnææ, oppressiones variæ etc.

An, ut plurimi notant, « *morbosum latus sub inspiratione tanto immobilius* » *deprehenditur, quanto majorem circumferentiam pulmonis affectio occupaverit* » discrimen illud semper tamque facile visu et tactu dignosci valet (2)?

Quoad auream percussionis methodum ejusque applicationis regulas observandas in pneumoniæ chronicæ diagnosi stabilienda, benevolo Lectori rogatum volo, ut ad pretiosum Avenbruggerianum opus confugeat; attamen, quum multis vestrum deficiat, non inutilè opinor hæc pauca ex ipso extracta hic addere verba.

---

(1) Vid. Stoll, op. citat. pag. 114.

(2) Vid. Avenbrugger op. citat. Laënnec, de l'Auscultation médiate ou Traité du Diagnostic des maladies des poumons et du cœur, 2 vol. in-8.°, Paris, 1819,

Si non percipitur sonus utrique lateri œqualis, eidemque percussionis intensitati conformis, morbosum quid in pectore latere significabit.

Si percussus thorax in loco alias sonoro, sono suo naturali penitus destitutus fuerit, id est, carnis percussœ sonum ediderit, morbus in illa plaga, quœ sic resonuerit, latebit. Ea enim ratione obscurum edit sonum, qua pulmonis induratio vel destructio etc., majorem vel minorem occupat locum. Si percussus thorax in loco sonoro, sonum ediderit obscurum, jubeas, ut aer profunde inspiratus retineatur, et si retento sub spiritu locum percutias ad eam thoracis altitudinem, qua sonum observes obscurum, erit pulmonis aliqua affectio. Nam quousque aer pulmonem penetrare datum est, sonus erit naturalis, eoque pulmo ad hanc usque partem sanus. Si nunc totus locus percussus, carnis percussœ sonum servat, judica, morbosum profundè penenetrare thoracis cavum.

Si exactam notionem acquirere velis, an solida an liquida in cavitate thoracica contineatur materies, oportet, ut vario sub œgrotantis situ varioque in loco latus affectum percutias.

Sæpius revera affectiones pectoris variæ ægros de die in dies depascentes a medico ignorantur, quia hanc methodum non applicant; ita ait Avenbrugger. « *Multa enim observatione convictus didici, latere posse morbos pessimos in* » *thoracis cavo, qui nullum existentiœ suœ signum edunt atque nulla ra-* » *tione deteguntur, quam sola hac percussionis methodo.* »

Quoad pectoriloquium Doct. Laënnec (1), rarius adhibetur, nisi morbus sit complicatus, in quo casu, aliquando cum utilitate, in usum vocatur, ut ita ab aliis morbis pectoris, pneumonia chronica, possit distingui et recte dignosci.

---

(1) Vid. Laënnec, op. citat.

Respiratio quum ad naturalem suum rhythmum redierit, æger nullo fere amplius modo dolet; attamen, ut supra fuit dictum, si profundius inspirat, tussitat, sternutat, thorax ejus si percutitur vel quocumque modo motibus fortioribus incitatus fuerit, dolore afficitur gradu diverso, vel vago, vel fixo, vel obtuso, vel lancinante, prout vel leviores vel violentiores fuerint turbæ.

Tussis ut magni quoque hoc in diagnoscendo morbo momenti debet haberi: nunc humidam, nunc siccam, nunc facilem, nunc laboriosam illam aspicies: nunc rara, nunc frequens et quasi convulsiva patientem opprimit.

Nonne summum quandoque in sputis observare est discrimen? in uno casu erunt cruda ut serosa, spumantia, semitranslucida : in altero cocta ut mucosa, viscosa et glutini simillima; in altero iterum casu erunt puriformia quandoque, sed rarius, striis sanguineis variegata, majori minorive copia e corpore eliminabuntur.

Non minus præcedentibus circulationis motus ad diagnosim concurrit. Quamdiu æger pacatus dies suos percurrit nullisque afficitur irritamentis, circulatio naturalem rhythmum conservat: quum autem fortiori aliqua corporis exercitatione ut passu longiori, cantu, clamore, loquelâ protractiori, animi pathematibus, etc. potu vini largiori, cibo pastuque nimiis imprudenter machinam suam offenderit, subito a naturali suo motu deflectit: intumescit facies; genæ rubent quandoque livent; oculi spectantur injecti, lacrymosi, fulgent splendentque; accedit, quod eodem tempore siccam asperitatem in gutture experiatur, et pulsus, qui alias moderate frequens est, jam celer, vibrans, duriusculus et inæqualis reddatur, cor palpitet, vibret.

Non raro evenit, ut optimè notat clar: professor Van Rotterdam, gena una, quæ lateri affecto correspondet, ut præter naturam rubeat, dum altera, lateri

sano correspondens, naturalem suum conservet colorem, et pulsus lateris affecti magis quam sani rhythmo suo statum morbidum denotet.

Chronica pneumonia affectorum status multum est variabilis; de nocte febris quandoque levis quandoque vehemens, et ratione intensitatis insultus pulsus frequentissimus; cita, laboriosa et quodammodo spastica respiratio; ita crudescit tussis, ita fit frequens et convulsiva ut non nunquam vigil integras noctes patientem angat. Tota animatur facies; accedit Dyspnæa, quæ aliquando tanta est, ut præ suffocationis metu situm erectum tenere debeat: varii demum erratici calores totum percurrunt corpus, qui nunc faciem nunc pectus occupant: observatione comprobatum est, ægri fere nunquam vero rigore, ut plurimum inter scapulas vagis corripi horripilationibus; dum hæc omnia plus minusve de die remittunt.

Venosi sanguinis circulatio, hujus in progressu morbi, est lenta et plerumque torpet: hinc labia, narium pinnæ genæque violaceo tinguntur colore; venæ jugulares, temporales et sublinguales ex latere affecto magis solito inflantur; plurimis cœruleis lineis cutis superficies ubique striata apparet.

Digestio ut plurimum officia sua lætè peragit, at summe quandoque ratione individuorum variat; quidam parcum gaudent assumere victum, alii fastidiunt, alii iterum magnam ciborum copiam exposcunt; si largioribus quam par est se cibis ingurgitaverit ægrotus, sequentia mox urgebunt incommoda: sensus ponderis et plenitudinis in epigastro, oppressio pectoris, anxietas, orthopnœa; tussis fortis, sicca, quandoque febris intermittens, diarrhææ, œdema, quæ omnia, digestis vel detractis cibis sobrietateque cessant. Ait tamen Clar. Broussais, se quibusdam in casibus nauseas et vomitus continuos, nullis sedandos remediis, cum tussi renatos vidisse.

Quum lethalis evadat morbus, observare est sequentia: inexplebilis ciborum,

cum falaci salutis spe, appetentia; sitis, quin a febrili aliquo ardore suscitetur, raro ægrum cruciat; excretiones sunt naturales; alvus non raro tarda quandoque frequens; urinæ vel naturales, vel parcæ, turbidæ, sedimento lateritio divites.

Æquabiliter variæ œconomiæ secretiones de morboso statu participant: cutis naturali suo exuta colore, novum induit; ita ut eam subflavidam, stramento simillimam, nec raro ex pallido-lutea in violaceam mutatam aspicies: vespertino tempore, ægro nimiis corporis motibus, sermone protractiori, vel quacumque de causa calescente, arida et aspera riget cutis; frons, jugulum atque thorax largo humectuntur sudore, sed calor non nunquam, ullo sine sudore, has partes occupat. Lingua præ primis humida et nitida, quandoque tamen mucosa et albida evadit.

Hic morbus in ætate provectis, lymphaticis, cachecticis, singularibus quasi symptomatibus stipatur, quorum præcipua sunt sequentia: variæ fluidorum stases, œdemata, præcipue pedum, faciei, palpebrarum, sæpius quoque anasarca, ascites et hydrops pectoris. In genere eorum machina generali torpore afficitur.

Omnium maxime nutritio læditur, idque quo magis incenditur malum et quo citius ei conjungitur febris hectica, eo magis atque citius suam amittit energiam, perit inde verum solidorum robur, totaque mox dilabitur et tota quasi liquescit compages; maxime brachiorum, femorum et surarum evanescunt carnes; deperit tota facies, oculi retrocedunt, procedunt ossa jugalia et maximè præeminent; genæ temporaque concavantur, defluit omnis pinguedo, inde macies, atrophia, marasmus, quæ cuncta ad patres ægrum migraturum prædicunt.

Quamquam symptomata ad ægri habitum sensationesque morales pertinentia

admodum parca sint, neque constanti lege in omnibus appareant et ideo ad diagnosim parum conferant; attamen priusquam ad prognosim aggrediar, eam phænomenorum seriem agili pede percurram.

Dolor capitis, temulentia, aurium tinnitus, susurrus ægrotantem aliquando angunt; oculi præ primis annulo cœruleo circumplexi, languent depressi, morbum gravem depingentes; faciem rarius caligantem, sæpius vero, gravibus quasi detentam, videre est : insequuntur torpor, sensuum hebetudo etc.; taciturnus hæret æger secumque tacitè colloquium init; cæterum parentes, amicos et societates omnes fastidit et fugit, desidiosus denique tabescit et omne corporis declinat exercitium. Non raro quoque eum curis immunem, sua sorte contentum, vel salutis spe delusum, nullo funesto præsagio deterritum aspicies.

Si ægrotantem de suo statu interrogas, ni symptoma aliquod gravius excipias, se bene valere respondebit.

Somnus vel rarus vel nullus, si casu adsit, vix restaurat. Hinc omni nocte ingravescunt symptomata et in dies ægri perit alacritas, ut tandem lectum amplius linquere nescius, extinctus pereat.

Quamvis symptomata plerumque sese supra descripto modo subsequuntur, quis ignorat, illa tamen plus minusve ab ordine descripto decedere, ratione naturæ, causarum et extensionis morbi, pro vario sexu, temperamento, modo vivendi etc.

DE PROGNOSI.

Si anatomicam pulmonum dispositionem, fabricam et structuram, sensibilitatem, functionis nobilitatem, eorum cum universo organismo in primis cum cerebro et corde consensum, stragemque ingentem, quam in organa vitalia edit

antequam nosci valeat, consideramus, facilè patebit, nullam pneumoniam chronicam discriminis esse expertem. Nota prognosim iterum variare ratione individui, complicationis, intensitatis symptomatum etc.

Eo felicior erit prognosis malumque eo minus anget ægrum, quo ejus constitutio fuerit melior, robustior et magis statui sano conformis, quo rectius formatus et quo minus hæreditariis vitiis fuerit detentus, quo causæ leviores et simpliciores, quo minus duraverit et increverit morbus, quo minus fuerit complicatus, quo minus turbatæ fuerint œconomiæ functiones et quo rectius ac majori vigore naturalem suum cursum peregerint; quo minorem hic morbus pulmonis occupaverit partem, quo alacrius et constantius æger dies suos sine magnis præcipuè nutritionis turbis transierit, quo minor dyspnœa (1), quo naturaliores fuerint pulsus; quo clariorem percussio thoracis ediderit sonum; quo faciliores motus ac quo minori incommodo in utrumque latus sese æger convertere potuerit; tussis quo minus frequens, spastica et ferox, quo brevior ejus concussus; somnus quo tranquillior et magis refocillans; quo magis tandem signa, quæ ex habitu, volumine, temperie, positu et decubitu sub sensus cadunt, statui sano et naturali appropinquaverint et quo minus a naturali suo rhythmo evacuationes secesserint.

Quo magis præmissis contraria evenerint, quo citius, violentius symptomata increverint, quo magis ægri constitutio a sana secesserit, putà quo magis fuerit cachectica, scorbutica, scrophulosa, phthisica etc.; quò majora pulmonum pars affecta; quo plures, quo vehementius in universum a normâ suâ naturali aberraverint

---

(1) « *Spirandi difficultas quo fuerit facilior vel difficilior, eo pleuritis erit felicioris vel infelicioris eventus.*

Vid. Baglivium, opera omnia medico practica de pleuritide, vol. 1, edit. 1788.

functiones; quo obscurior in thorace percusso sonus; quo major dyspnœa, quo gravior anxietas præcordialis, quo major de nocte suffocationis metus; quo ferocius ægrum tussis cruciaverit, quo sputa magis cruenta vel viridia, nigra, livida, fœdidissima eliminaverit vel quo magis fuerint suppressa; quo magis febricitaverit æger symptomatumque exacerbatio vesperi miserum urserit; quo magis pulsus tactu fuerint duri, contracti, parvi, frequentes, irregulares; quo sæpius insomnia vel somnia maxime crudelia ægri imbecilliores exhauserint vires; quo sæpius inter respirandum sibilus in aspera arteria; quo major excreandi sputi difficultas; quo major vocis et loquelæ labes; quo minus, nisi capite erecto, dorso incumbere ac spiritum ducere potuerit; quo plures demum complicationes, ut œdemata, hydropes, alvi fluxus varii, sudores colliquativi, febris hectica etc., eo infaustior atque periculo plenior chronicæ pneumoniæ erit prognosis.

Maximâ semper utemini prudentiâ in hâc prognosi stabiliendâ, nam, cum optimis aliquando signis, æger inopinato perit. Conferantur hisce doct. Balglivii verba.

« *O quantum difficile est curare morbos pulmonum! o quanto difficilius* » *eosdem cognoscere, et de iis certum daie præsagium* (1)! »

AUTOPSIA CADAVERUM.

Pulmones eorum, pneumonia chronica extinctorum, mira ludunt varietate; sunt sæpè rubri, atri, sebacea materia interstincti, marmoris adinstar indurati,

---

(1) Op. citat. pag. 45.

sub consistentia cartilaginea carneam massam referentes; non raro tamen evenit, ut in centro hujus indurationis exhibeant puncta mollia, glutinosa ac si essent putrefacta : propter ter quaterve auctum pulmonum specificum pondus, quum aquæ immerguntur, subitò fundum petunt. Si cultro anatomico discinduntur, vasa apparent hiantia eorumque degeneratio est tanta, ut hepatis substantiam simulent. Pleura aliquando tota apparet sana, quod sæpius tamen, in superficie exsudatio pseudo-membranam formans, quæ pleuræ partem pulmonalem cum costali jungit, aliquando in thoracica cavitate multum seri, puris vel liquida varia inveniuntur. Sæpius, at minus frequens ac quidem legitur, in uno vel altero pulmone existit saccatus purulentus focus, qui *vomica* audit; est pulmo aliquando exesus a materia purulenta, ichorosa.

CURATIO.

Ut pneumoniæ chronicæ cura recte instituatur, ad duo generalia puncta est attendendum : 1.° topicam irritationem extinguere : 2.° generalem sensibilitatem imminuere, quæ indicationes complentur bonâ hygienâ et pharmacis congruis.

Ad hygienam spectant : æger arti, quæ aliquomodo favere valet huic morbo, valedicat; atmosphæræ variationes, miasmata, temperaturam nimis calidam et præcipuè nimis frigidam summo cum studio fugat; aerem purum temparaturæ moderate et uniformiter calidæ quærat; sine vestimentis siccis et calidis sese atmosphæræ nunquam committat. E. C. vestimentis ex lanâ factis cute nudâ sibi induat. Diætam servat tenuem, mollem, parcam, præcipuè antiphlogisticam et facilis digestionis, ut sunt : carnes multa gelatina divites, pisces quorum caro est albida et tenera; legumina varia; ova, lac, radices feculentæ, fruc-

tus maturi etc. etc. Fugat potiones alcoolisatas omnesque excitantes, ut coffeum etc.; calefacientia alimenta, adipem, salem, oleum et omnia difficilis digestionis; nunquam patientis appetitui plane satisfaciatur. Fugat quam maxime passionum turbas, studia, vigilias, veneris cultum etc. Levis equitatio vel navigatio, cœlo sereno, puro et moderate calido, per loca amœna, certè multum ad ægri sanationem conducunt.

Primo et maximè conveniunt illa inter remedia externa, quæ pulmonum orgasmum dissipant eorumque irritationem extinguunt, v. g. inflammationes et suppurationes artificiales in cute vel tela cellulari propè thoracem institutæ et sanguinis variæ missiones locales, rarius generales; si in regione aliqua thoracis adsit dolor pertinax, cum fructu in initio morbi applicari passunt sanguisugæ aliquot, ratione individui, ejus ætatis, morbi complicationis etc. etiam cucurbitulæ scarrificatæ, quæ ratione intensitatis morbi reiterari possunt (1) atque hæ semper, si possibile, in loco dolenti sunt applicandæ. Vesicantia fixa, melius ambulantia ad rubedinem, fonticuli, setacea, cauterea, moxa pectori vel brachio applicata, post sanguinis depletiones summo cum fructu in usum vocantur. Nota hæc constitutioni athleticæ, torpidæ, lymphaticæ maxime convenire, præcipuè si morbus sit ortus a suppressione alicujus morbi cutanei. Aliquando verò in infantibus, juvenibus fibrâ irritabili gaudentibus, cataplasmata emollientia tepide pectori apposita, balnea tepida, frictiones, cutis calor moderatus lenibus sudorificis alitus, prædictis irritantibus palmam præripiunt.

Pharmaca ad generalem imminuendam sensibilitatem sunt hæc : interne linctus et emulsiones, bechici simplices vel cum anodynis maritati, julapia, varia emollientia et leniter tonica etc. : variæ ptisannæ ac potiones temperantes, nempè

---

(1) Vid. Broussais, Op. citat. pag. 357.

decoct. hordei, tussilag. farfari; gum. arab. et adragant., infus. flor. althææ, viol. odor, hed. terrestr. cum melle vel syrupo, vel cum acido aliquo saccharo edulcoratis, et omnes potiones antiphlogisticæ.

Si æger inde nimium debilitatur, cum tonicis variis hæ sorbitiones erunt præscribendæ, sed has prudenti et avarâ manu medicus propinet, v. c. infus. polygal. seneg., decoct lich. Island, syrupi extractaque varia tonica cum aq. menth. pip. vel crispæ etc. : imò ipse cortex peruv. variis modis non raro præscribitur, si verò, prædictis tonicis datis, febris ac symptomata recrudescunt, ab istis abstineas et subito cum cura antiphlogistica et diæta stricta procedas.

Sudorifica quandoque non parvi in hujus morbi curatione sunt momenti : præcipuè utuntur, quæ sine stimulo sudores ad cutim pellunt e. g. sambucina præsertim ejus infusum, infus. papav. rheados, balnea sicca ex arena præparata etc. Ligna sudorifica propter virtutem stimulantem rarius propinantur.

Quædam antispasmodica in hoc morbo summo quandoque cum successu adhibentur, inter quæ moschus, hyosciamus niger, opium ipsum aliquando cum fructu præscribitur sed cautius cum eo est procedendum; optimum attamen, ut recte dicit Broussais (1), sistit illud remedium, in compescendâ tusse, si cum granis aliquot pulv. rad. ipecacuanhæ combinatur, quæ combinatio (parum a pulvere Doweri differt) eodem tempore sudorem salutarem excitat. Optimè hæc narcotica in usum vocantur dum tusses, spasmi et dyspnœæ ægrum noctu continuò angunt miserque somnum dilectum in vanum exposcit; si adsit torpor pulmonum et bronchiorum, in sputis eliminandis recte adhibentur kermes minerale, sulphur aurat. antimo., gummata ferulacea et oxymell scillit., at duo ultima rarius.

---

(1) Op. citat. pag. 187.

Quando oppressio, rubor ac inflatio faciei fortem sanguineam in pulmonibus congestionem denotant, multo cum successu digitalis purpurea fuit propinata.

Alvus si sit tarda adhibentur clysmata emollientia, diluentia, si verò nimis sit laxa et diarrhœa superveneat, erit compescenda enematibus anodynis; vesica si torpore sit affecta levissimis diureticis erit excitanda.

Notandum in genere curam esse difficillimam et sæpè incertam, quod recte dicit Avenbrugger ad articulum de pneumoniâ occultâ.

« *Tyrones mei caute estote, et prudentes in iis curandis nec facilem* » *promittite curationem, ut nebulones faciunt, qui Hippocratem non legunt* (1). »

TANTUM.

THESES.

I.

Operatio empyematis in pneumoniâ chronicâ parum vel nihil prodest.

II.

Si emeticorum usum justa suadeat indicatio, non perinde est, quali remedio emetico utamur.

III.

Quo majus cerebrum, omnibus paribus, eo major intelligentia.

---

(1) Op. citat.

IV.

Ingeniosissimi plerumque bardos progenerant.

V.

Phthisim non esse contagiosam autumamus.

VI.

Articulatio ossium pubis nunquam in partu, nisi in statu morboso, mobilis.

VII.

Abortus quandoque sine delicto provocari valet.

VIII.

Nunquam inter animalia calidi sanguinis hermaphroditos extitisse sustinemus.

IX.

Venæ utique, ut vasa lymphatica, absorbent.

X.

Picæ et corvi magno numero convolantes ad loca, ubi multi degunt ægri, pessimum habetur signum.

XI.

Aer contactu suo frigido suoque pondere in neonato primam excitat respirationem.

Vidi et nihil reperi quod art. 56 legis Academ. adversetur.

F. E. VERBEECK,

F. m. h. t. Dec.